

12.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
S O M N I O  
MORBORVM PATRE ET FILIO

Q V A M  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIIS  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV  
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
IO. GOTTLOB KRÜGERO

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBL. ORDIN.  
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM  
ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM SODALI  
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMSQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
ATQVE IMMVNITATIBVS MORE MAIORVM  
LEGITIME IMPETRANDIS  
IN IVLEO MAIORI

D. XXIX. APRIL. MDCCLIV.  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUVETIS  
PVBLICE DEFENDET

A V C T O R  
GEORG. CHRISTOPH. SCHEIBNERVS  
GANZIGIO - MISNICVS.

---

HELMSTADII  
LITTERIS PAVL. DIETER. SCHNORR  
ACAD. TYPOGR.

DISSECTIO ANATOMICA MEDICA

DE

SOMNIO

MORBORUM PATRIE ET FILIO

AVT

SVMMI SVMMI AVT SVMMI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

P. R. A. E. S. I. D. E.

AVT SVMMI SVMMI SVMMI

IO. GOTTLIB KRÜGERO

MEDICINAE ET ANATOMIAE SVMMI SVMMI SVMMI  
ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE SVMMI SVMMI  
ET SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI  
SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

AVT SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

LEGITIME IMPETRANDIS

IN VALLE MAIORI

D. XXIX. APRILIS MDCCCLV.

SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

AVT SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

GEORG. CHRISTOPH. SCHEINERVS

SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

HELMSTADII

SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI

AVT SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI SVMMI



V I R O  
DOCTRINAE PRAESTANTIA, FAMAE CELEBRITATE  
ET MVNERVM MERITORVMQVE SPLENDORE  
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
D. GEORGIO GOTTLOB  
RICHTERO

AVGVSTISS. ET POTENTISS. MAGNAE BRITAN. REGIS CONSILIARIO  
AVLICO ET ARCHIATRO PROFESSORI IN ACADEMIA GEORGIA  
AVGVSTA MEDICINAE PRIMARIO  
AVVNCVLO SVO ET PATRONO  
PARENTIS HONORE HABENDO

V I R O  
PLVRIMVM REVERENDO  
D O M I N O  
M. IOH. CHRISTOPHORO  
SCHEIBNERO

ECCLESIAE GANZIGIENSIS ET LONNEVIZENSIS  
PASTORI MERITISSIMO  
P A R E N T I S V O  
OMNI PIETATE ET FILIALI OBSERVANTIA AD  
MORTEM VSQVE DEVENERANDO

SVMMMAM  
VALETVDINIS PROSPERITATEM  
CVM LONGISSIMA VITA CONIUNCTAM  
FELICISSIMOS  
RERVM OMNIVM SVCCESSVS  
ATQVE  
OMNIA, QVAE IN MORTALES CADVNT,  
FELICITATVM GENERA  
SVMMA MENTIS PIETATE ET OBSERVANTIA

AC  
CVLTV SVBMISSO  
ADPRECATVS  
HANC DISSERTATIONEM  
LABORIS IN RE MEDICA PERDISCENDA POSITI  
INDICEM  
ANIMI OBSTRACTISSIMI DEVOTISSIMIQUE

OBSIDEM  
SACRAM ESSE IVBET  
ET  
TANTORVM FAVORVM GRATIAE  
AC PATROCINIO  
SE SVASQVE RATIONES

OBSERVANTISSIME COMMENDAT  
AVCTOR.



PROOEMIUM.



Optime ac sapienter aevi nostri  
HIPPOCRATES, Illustris  
HEISTERVS, Institutionum  
medicarum §. 2. dixit, ob-  
iectum medicinae esse ho-  
minem, et quidem vivum,  
quatenus saniratis et mor-  
borum capax est. Indicare his verbis voluit  
praeceptor observantissime colendus non nuda

corporis speculatione, quod obiectum est anatomiae, occupari debere Medicum, cui cum corpore vivo res est, quod vivum esse nequit, deficiente illa hominis parte, quam nobiliorem sive animam vocare solent. Realem namque esse illam mortis definitionem, quam ob naturalem simplicitatem et antiquitatem contemnere et adunco naso suspendere solent quidam recentiorum, nos quidem existimamus, qua mors dicitur separatio animae et corporis, ex qua naturali plane ratione concludendi fluit, vitam consistere in utriusque unione. Cur Lypothimiam dicimus, et recte dicimus, mortis imaginem? Nonne eam ob rationem, quoniam nulla conscientia sui, nulla sensatio, respiratio nulla, nec pulsus observatur? Functionum animalium defectus in Lypothimia manifestus est. Cordis vero motum, unde pulsus proficiscitur, ac respirationem ad vitae conservationem adeo necessariam, a sensatione proficisci, quae ad functiones ani-



animales pertinet, egregie demonstravit Illustris  
 PRAESES in Physiologia edit. 2. §. 117. p. 200. et §. 206.  
 p. 401. Praeclare igitur me hercle falluntur, sibi-  
 que ipsis contradicunt, qui adeo angustis artem  
 salutarem finibus circumscribunt, ut solam corpo-  
 ris cognitionem Medico tam theoretico, quam  
 pratico, neglecta plane anima, Philosophis et  
 Theologis relinquenda, sufficere existiment, non  
 cogitantes, quanta sit adfectuum in corpus,  
 quanta imaginationis efficacia, et quod animi  
 morbos sanare, non sit ultimum Medici officium.  
 Adeo arctum enim est mentis cum corpo-  
 re commercium, ut adfirmare audeam, nullam  
 plane in una harum hominis vivi partium con-  
 tingere posse mutationem, quam non comite-  
 tur, vel excipiat in altera mutatio. Studio dixi  
 mutationem in una hominis parte contingen-  
 tem concomitari vel excipere mutationem in al-  
 tera. Nolo enim me immiscere disputationi-  
 bus de commercio animam inter et corpus, quae nulli-

nullius in medicina usus esse possunt, mihi que  
 adeo indifferentes sunt, ut perinde mihi sit, si-  
 ve quis harmoniam praestabilitam, sive physi-  
 cum influxum, vel aliud quodcunque systema  
 defendat; de qua materia docte, pro more, egit  
 Celeberrimus VNTZERS, Altonaviensium Me-  
 dicus. Sufficit mihi, quod ab omnibus cordatio-  
 ribus Medicis concedatur, animae vehementio-  
 res commotiones turbas in corpore, corporis-  
 que laesiones in mente mutationes efficere. Lu-  
 culentissimum huius veritatis testimonium exhi-  
 bent somnia, quorum in sanitatem influxum et  
 ex morbis generationem, hac inaugurali differ-  
 tatione, pro virium tenuitate, exposuimus. Fa-  
 xit Deus ter optimus maximus ut qualescunque  
 nostri conatus cedant in eius gloriam et salutem  
 mortalium.



PARS PRIMA

DE

SOMNIO IN GENERE.

§. I.

**S**omnii cum morbis cognationem explicaturi, exhibebimus somnii definitionem primo nominalem et usui loquendi conformem, ex qua deinde realem sive geneticam iusto, ut decet, ratiociniorum nexu derivabimus. Aut ego totus fallor, aut duo verba sufficiunt pro formanda somnii definitione, si dico esse *repraesentationem dormientis.*

B

§. II.

I  
R.  
M  
A

## §. II.

*Dormire* dicimur, si actiones cessant quas animales vocare consueverunt artis salutaris periti, quod fieri posse non turbatis vitalibus et naturalibus functionibus experientia convicti scimus.

## §. III.

Somnium est repraesentatio dormientis (§. I.) Repraesentatio pertinet ad functiones animales. Ergo et somnium functiones animales pro causa agnoscit. Nonne igitur aperte nobis ipsis contradicimus, si somnum per absentiam animalium functionum definimus et nihilo minus statuimus, quod dormiens possit habere repraesentationes? Sed salva res est. Somniis vexatus nunquam perfecte dormit, quare nihil inde sequitur quam somnium esse medium statum inter somnum et vigiliam. Deficit namque dormienti sensuum externorum usus, non quidem plenarie, siquidem negari non potest somnium saepissime ex sensatione nondum expergefacti originem capere; cum tamen insomnia magis absentia quam praesentia repraesentent: consequens est, ut somnium illi animae facultati adscribi debeat, qua absentia et olim percepta nobis repraesentare valeamus. Jam illa facultas vocatur *imaginatio*, somnium ergo pendet ab *imaginatio*ne.

## §. IV.

Animam cum dicamus ens illud in nobis quod sui aliarumque rerum conscius est; imaginatio recte inter

inter animae facultates refertur, et omne somnium  
 dependet ab anima.

§. V.

Cum somnia ab anima pendere diximus, noli  
 existimare corpus plane excludi debere. Adeo ar-  
 ctum enim est mentis cum corpore commercium et  
 alterutrius partis in alteram influxus, ut in tenebris  
 versentur philosophi statum animae separatae expli-  
 caturi, quem profundo somno simillimum esse multi  
 an dicam demonstrant aut somniant. Quae cum ita  
 sint, faciamus periculum, an ex hac corporis cum  
 anima unione somnii genesin exponere valeamus.  
 Homo qui profundissimo somno sepultus iacet, vel  
 nullas omnino habet repraesentationes, vel si philoso-  
 phis credimus, valde obscuras, quarum non conscius  
 est. Jam omnis somnians ante somnium vel dormit per-  
 fecte vel non. In ultimo casu adfunt repraesentationes,  
 quae ex antecedentibus originem traxerunt et secun-  
 dum legem imaginationis, qua unam ideam semper  
 excipit alia priori similis, vel olim cum illa coniuncta,  
 continuantur. Fieri inde solet, ut homines curis,  
 profundioribus meditationibus, vel adfectibus dediti,  
 cum obdormiscunt, facile in somnium labantur. Ad  
 alterum casum quod attinet, si quis placidissime so-  
 mnum cepit et nihilo minus experitur insomnia, nulli  
 dubitamus, quod somnium ab aliqua sensatione,  
 quae non satis fortis erat ad excitandum dormientem  
 ortum et deinde iuxta legem imaginationis ulterius  
 continuatum sit, nisi nova sensatio, novo somnio ori-  
 ginem

ginem praebuerit. Quod vero dentur sensationes, a quibus non expergiscimus, sed in somniorum labyrinthum deducimur, experientiae suffragio satis abunde constat.

## §. VI.

In vulgus nota cloquor, si somnia dico variare, pro aetatis, vitae generis, et temperamenti ratione. Quoniam enim sunt effectus imaginationis, et imaginatio nil nisi olim percepta vel cogitata repraesentat (§. III.) prono alveo fluit, somnia diversa esse debere pro praeteritarum repraesentationum diversitate, quas aetatem, temperamentum et vitae genus sequi, neminem existimo fore qui dubitet.

## §. VII.

Somnium dixi saepissime incipere a sensatione nondum expergefacti. (§. V.) Eiusmodi autem sensatio cum non solum in externis corporis partibus, verum etiam in internis et ipsis visceribus contingere possit, duplex inde nascitur somnii species, quarum prior maxime in hominibus optime valentibus, et ultima in aegrotantibus frequentius, occurrit. Homo enim qui per omnia valet, nullos percipere debet dolores, vel praeternaturales in corpore commotiones, inconsuetae namque tantummodo animadvertuntur, quoniam quasi dormimus ad consuetas et naturales partium corporis nostri actiones.

## §. VIII.

§. VIII. Dari fluidum subtilissimum in cerebro a sanguine secretum ad sensationes tam externas quam internas ipsosque corporis motus summe necessarium, tot argumentis evincere artis nostrae antistites studuerunt, ut sententiam illorum tanquam valde probabilem non possim non amplecti. Cum igitur in somnio et sensationes contingant et imaginationis operatio (§. V.) imo interdum etiam motus, quos si in vigilantibus observamus, voluntarios vocare solemus; dubium nullum est, quod somnia supponant maiorem sub somno fluidi nervei agitationem, quam in somno profundo deprehenditur. In somno quidem semper haud interrupto flumine pergit liquidum illud nervosum influere per nervos in viscera et continuare necessarios ad vitam sanitatemque conservandam motus. Quiescit vero in nervis sensationibus motibusque voluntariis destinatis et nulla ipsi in cerebro contingit mutatio nisi simplex secretio. Maxime namque probabile est, cum aliquid nobis imaginamur, eodem fluidum nerveum motu concitari, quo adficitur, si rem repraesentatam per sensus externos percipimus. Sed quaeris, unde illa in somno fluidi nervei in quibusdam tantummodo nervis quies, et motus in reliquis? Respondeo me hoc scire cum ignarissimis, cuius rei si rationem adferre poteris, magnus mihi eris Apollo. Noli vero propterea effectum negare quoniam ignoramus causam. Sufficit per hanc hypothesin haud difficulter explicari posse somni phaenomena; et cum probabili in omni cognitione humana locus sit,

sit, nisi forte mathemata excipias, cur nil nisi abso-  
 lute certum in medicina admittere velimus equidem  
 non video. Legi de hac materia meretur viri supra  
 laudes meas positi *Illustris HALLERI* elegantissima  
 dissertatio de *hypothesium utilitate* quam praefixit Do-  
 mini DE BVFRON *Historiae naturali*. Secundum  
 hanc de somno hypothesein facillime explicatur, cur  
 laboribus defatigatus, qui sentit fluidi nervei defe-  
 ctum, adeo facile et medios inter strepitus placide  
 obdormiscat, cur idem contingat homini profundio-  
 ribus meditationibus immerso, cur post largiorem  
 haemorrhagiam, qua simul cum sanguine perditur  
 nerveum fluidum, tanta ad dormiendum proclivitas.  
 Cur idem contingat plethoricis in quibus expansa a  
 sanguine cerebri vasa nervorum initium comprimunt,  
 quod elegantissima observatione confirmavit *Summus*  
*BOERRHAVIUS* qui in praelectionibus ab *Illustri*  
*HALLERO* editis sequentia refert. " Parisius homo  
 " vixit, qui in propriam Calvariam stipem vicatim  
 " petebat, cum cerebrum sola callosa dura menynge  
 " rectum haberet. Experimenta pro exiguo num-  
 " mo centies in eius cerebro facta sunt. Quoties  
 " nempe dura mater digito lenissime comprimeba-  
 " tur; subito mille scintillae ante oculos hominis ver-  
 " sabantur; et si fortior fiebat compressio, iam cali-  
 " go oculos occupabat; si denuo validiori manu ur-  
 " gebatur, in somnum delabebatur, deinde stertere-  
 " bat, donec sola manus levi opera apoplectico fie-  
 " ret simillimus: sed breve malum remota causa non  
 " tardius recedebat, stertore primum sublato, dein  
 " de



“ de somno, hinc tenebris discussis, et creddita tan-  
 “ dem legitima sensuum potestate.

## §. IX.

Adeo placuit Medicis haec somnum explicandi ratio, ut sibi persuaserint, opii et somniferorum omnium operandi modum non melius quam per sulphur, ut loqui amant, expansivum explicari posse, ipsamque ex ebrietate ad somnum proclivitatem ex eodem fundamento derivant. Sed fateri cogor quod a me nondum impetrare potuerim, ut hanc hypnoticorum operandi rationem pro vera ac unica agnoscerem. Existimo potius maiori cum iure opium a veteri schola inter frigida medicamenta relatum esse, cum neque acri et stimulantē principio gaudeat, nec teste ipsa experientia, motus excitet, quos potius suppressere et quasi suffocare dicendum est. Videtur potius immediate in nervos actionem suam exferere et sistere huius fluidi motum, specifica aliqua virtute non ex sanguinis orgasmo vel expansione derivanda et explicabili. Unde tandem concludimus, insomnia contingere, si fluidum nerveum dormientis vel a causa quadam extra sive intra corpus haerente, vel ab ipsa anima in cerebro ad talem motum concitatur, qui repræsentationes in imaginatione producere valeret. Motus namque illi sub somnio in cerebro contingentes exhibent materiales ideas, quas anima ceu nubem pro Junone amplectitur, et veras credit ideas, quas sibi relicta formavit imaginatio. Neque id mirum videtur. Vera namque ratio, cur id existe-

I  
R.  
M  
A

re credis, quod sensuum ope percipis, in eo posita est, quod rei perceptae idea reliquas omnes claritate superet. Jam somnii tempore ideae, quas imaginatio formavit, sunt omnium illo tempore in anima existentium clarissimae. Hinc ob consuetam ratiocinandi legem tam diu dormiente pro veris habentur, donec clariores evigilantem erroris convincant. Consentientem iterum habemus illustrem BOERRHAVIVM. Impossibile est, inquit, vincere imaginationem alteram solius ratiocinii vi. Sapientissimi saepe mortalium inciderunt in imaginationes falsissimas, quibus ita inhaeserunt ut nulla demonstratione mathematica avelli potuerint, neque convinci. Neque mirum; omnis enim ratiocinii vis nunquam poterit me contra sensuum evidentiam convincere, neque efficere, ut credam me non videre, quando video. Id aeterna lege Deus sancivit. Si ex sepulcris redi-vivi adesent Pyrrhus et Sextus Empiricus, et subtilissimis syllogismis eniterentur, ut persuaderer me non videre, resisterem certe incredulus, sensui meo fidus adhaererem. Nam inter impressionem in sensorio communi factam, et ideam animae, quae ex impressione nascitur, nexus est aeternus, quem repugnat everti, aut superari. Verum uti sensui externo credo, ita interno cogor credere. Si a causa interna eadem et aequae vivida impressio in sensorio communi facta fuerit, quam quidem ab externo objecto solebat fieri, cogetur utique mens aequae credere imaginationi, ac sensibus solet credere. Si sensorium meum commune ita dispositum fuerit, uti

uti dispositum est, quando circulum rubrum ante oculos video, credam utique videre me circulum rubrum, licet ducenti homines me circumstarent, qui communi consensu negarent, adesse circulum rubrum. Homo melancholicus, profundo et verissimo ratiocinio praeditus, in omni rerum genere, manebit in opinione, quam conceperit animo, donec violentus aliquis in corpore motus fiat, cuius impressio in sensorium commune fortior est, quam causa interna ideae praeconceptae, et tunc quidem liberabitur. Sed quid inquis delirium ad somnium? Paucis respondeo: Somnium est dormientis delirium. Delirare enim non negabis hominem, qui quod sibi imaginatur, existere credit. Et sicuti deliria sunt vel iucunda, vel tristia, vel furiosa, sic idem de insomniis valere inter omnes constat. Obiicis cum omne delirium vel morbus, vel morbi effectus sit, insomnia sanis contingere non posse. Concedo totum argumentum. Perfectissime enim sanus somno reficitur, qui nullis turbatur insomniorum monstris, sed ita comparatus est, qualem descripsit OVIDIVS Metamorphos. Lib. IX. ubi canit:

*Somme quies rerum, placidissime somne Deorum,*

*Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis*

*Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.*

## PARS SECVNDA

DE

## SOMNIO MORBORVM PATRE.

## §. X.

Somnium est dormientis repraesentatio. (§. I.) Sive igitur ortum a sensatione, sive continuationem ab imaginatione spectes, certum est sub somnio contingere virium dispendium. Non enim absque ratione Medici statuunt perdi non solum fluidum nervum motibus muscularibus, sed exercitio etiam sensuum tam externorum, quam internorum; et quid rationibus opus est, ubi experientia ipsa loquitur, quae tot nobis homines offert, qui de insomniis et sinistris illorum effectibus conqueruntur, ut saepissime etiam Medici postulent auxilium, contra somniorum frequentiam. Quid quod ipsos praeternaturales in corpore, quos sentiunt, effectus, insomniis adscribere nulli dubitant, cum dicunt: *ich bin ganz matt, weil ich so viel geträumet habe; der Kopf ist mir von vielen Träumen wüste*; et quaesiti rationem addunt: *ich habe nicht ausgeschlafen*. Quod ut eo distinctius a nobis explicari possit, cogites velim, corpus humanum esse machinam artificiosissime constructam, in qua, quam diu sanitate fruimur, motus innumeri contingunt, non solum absque dolore, sed cum certo etiam hilaritatis sensu, qui in ipsa sanitatis natura natales suos

suos agnoscit. Si in re obscura aliquid video, pendet hic hilaritatis absque morali causa sensus, a motu aliquo harmonico in nervis per vitales et naturales actiones excitato. Quid vero per eiusmodi motum harmonicum intelligamus, pluribus patebit ex dissertatione inaugurali LEIDENFROSTII, Professoris Medicinae in Academia Duisburgensi celeberrimi, *de motibus corporis humani, qui fiunt in proportione harmonica*. Quemadmodum igitur nihil de motibus in corpore contingentibus percipit perfecte sanus, sed potius hilaritatis aliquo sensu ab iisdem adficitur, sic in aegrotante non solum perit haec hilaritas, sed sensationes quoque oriuntur molestae et non raro dolorificae.

§. XI.

Corpus humanum cum sit ens compositum, cuius motus per structuram modificatur, machinae nomen meretur, unde prout alveo fluit mechanice de corpore humano philosophandum esse. Mechanicam autem corporis humani philosophiam ab ipsis Mechanicis peritis repetendam esse, quis quaeos iudicis ibit? Edocebunt autem nos scientiae archimedae antistites duo ad omnem requiri machinam, structuram nempe aptam et vim ad excitandos motus sufficientem. Fac igitur corpus nostrum optime constructum esse, sed vim ad motus peragendos deficere, nonne aut ipsi motus deficient, aut non ita succedent, uti succedere debebant? Quae cum ita sint,

I  
R.  
M  
A



manifestum est, morbos oriri posse a virium defectu. Jam fluidum nerveum est illud, in quo corporis humani vires quasi habitant et hospitantur, hoc igitur perditum vel deficiente, quod morbi oriuntur, mirandum plane non est. Maximi momenti veritatem dudum agnovere experientia edocti Medici, qui malignam febrem et ambigui exitus vocant quam insignis comitatur virium prostratio. Viribus enim vivitur, viribus conservatur sanitas, viribus morbi superantur. Interim Medici solam fere rimari solent structuram, de viribus, quibus haec regitur machina, parum solliciti, et videtur posteritati reservata gloria inventionis *Dynamicae medicae*. Felicia tempora, quibus destinati sunt illi HERMANNI et BERNOULLII! Laetatur quidem nostra aetas Halesianis experimentis, sed dolet simul quod vir celeberrimus, quae in animalibus violenter tractatis observavit, ad sanum statum adplicaverit, non cogitans insignem sensationis et imaginationis in talibus efficaciam.

## §. XII.

Optimus et nullo alio modo obtinendus somni effectus est perditarum reparatio virium. Dum enim in somno et sensus quiescunt tam interni quam externi et motus voluntarii cessant: continua illa, quae in cerebro et cerebello contingit, secretionem reparatur illud, quod perditum erat et novis viribus se instructum sentit evigilans, qui mortuo similis videbatur, ut viventi eo similior surgeret. Colligitur namque

que quasi aqua illa vitalis ipsa quiete, quae tantae subtilitatis et elaborationis est, ut frustraneo labore conemur per cibum et potum vigilantibus restituere exhalans continuo nerveum fluidum, cum nullum notum sit alimentum vel medicamentum, quod brevi tempore tantam huius fluidi quantitatem suppeditare possit, quae sufficeret homini, somnum plane negligerenti. Mirum hinc non est, quod dulcis somnus opprimat, si vigiliae nimis protrahantur, mortales quovis loco et tempore. Vigiliis namque nimis omnes laeduntur functiones. Sensus hebetiores fiunt et omnes animae facultates debilitantur. Ipsum cor vitae illa machina viribus destituta aegre movetur, et patiuntur inde, quas naturales adpellant, functiones.

### §. XIII.

Quae de vigiliis nimis diximus, ad somnia applicari posse, probari facili labore potest. Somnia enim sunt status medius inter vigiliis et somnum (§. III.) Hinc somnus somniantis iusto brevior est, quod idem est ac si diceres, talem hominem, nimis vigiliis contra diaeteticas regulas peccasse. Legitima ergo inde consequentia fuit, quod somniis vexatus eosdem morbos incurere debeat, quibus adffigitur nimis exagitatus vigiliis. Corripitur itaque morbis, qui a defectu spirituum pendent. Quo pertinet ratione animalium functionum talis status, quem lassitudinem mentis vocare possumus. Imaginationis namque iudicii et memoriae nec non sensuum laborabit

rabit debilitate, et vis musculis deerit ad motus ex voluntatis imperio perficiendos, quae omnia in homine insomniis vexato deprehendimus. Cum igitur laesas animales functiones iure meritoque inter morbos referamus, somniis virtus morbos procreandi denegari non poterit, meretur ergo *Somnium* vocari *Morborum Pater*,

## §. XIV.

Nulla calamitas sola; nec somnia tantummodo laedunt animales functiones, verum etiam vitales et naturales. Cor namque, vitalium actionum auctor, viribus destitutum, debilis contrahitur, unde debilis pulsus et circulatio. Cum igitur certo certius sit, a circulationis sanguinis vigore corporis pendere calorem, ratio patet, cur frigeat non raro somniis vexatis corpus. Accedit quod naturales functiones a vitalibus pendentes non legitime peragantur, quae omnia ex debiliore sanguinis circulo explicari possunt facili negotio. Sic appetitus perit tam ob imminutam sensibilitatem, quam ob defectum secretionis liquoris gastrici, ipsamque laesam digestionem, quae ex eodem fonte, nimirum imminuta ventriculi sensatione et debiliore sanguinis in vasis ventriculi circulo derivanda est, qua fieri solet ut cruditates ventriculum replentes et appetitum et ipsam quoque digestionem impediunt. Alvi ex eadem ratione segnities, et intestinorum ob atoniam a flatibus repletio, a quibus deinde sursum presso diaphragmate et impedita respiratione dyspnoea, suspiria, sanguinis ad caput con-



congestio, cephalalgia, inferiorum partium frigus, et ut omnia uno complectar verbo, febricula, quae solvitur viribus per somnum restitutis, et reddita per lecti calorem insensibili transpiratione, quae si ab ulla re, certe ab insomniis turbatur et supprimitur, si illa excipias, in quibus vehementiores adfectus animum excitantes cordis palpitationes, sanguinis circulum vehementiorem et inde pendentem transpirationem adeo fortem efficiunt, ut sudore madeat cutis, in quo casu per ipsum somnium febris nascitur historia et finitur. Febrem enim ex insomniis nasci posse adeo naturale est, ut sine labore ex ipsa febris definitione possit demonstrari. Si enim febris ex sententia Illustris PRAESIDIS in Pathol. §. 3. p. 9. est *innata voluntariorum motuum ad vitales ratio*, et in somnio non solum rite procedunt, sed augentur quoque vehementioribus adfectibus somnium concomitantibus vitales motus, debilitatis voluntariis, qui somniantibus ordinarie vel nulli, vel non admodum vehementes esse solent, fieri non potest, quin vel ipsum somnium febrem, delirii foecundam matrem, habeat comitem, vel pedissequam. Accedit quod in hominibus insomniis vexatis ob debiliorem cordis contractionem non rite succedat insensibilis transpiratio, qua cohibita tanta feri acris copia in corpore remanet, quae levi accedente causa febriles motus concitare valet. Catharrhales plerumque esse solent, quia hae febres acrisfero et muco per transpirationem expellendo et in corpore retento originem debent. Videbis hinc frequentissimi

omi

me

I  
R.  
M  
A

me homines infomniis vexatos catarrho laborare. En  
 filios quorum *Pater est somnium!*

§. XV.

Et, quae hucusque adduximus, valent fere de  
 infomniis vulgaribus, neque adeo molestis; sed dan-  
 tur somnia, quae Latini ob distinctionem *Insomnia*,  
 et Germani *schwere Träume* vocare solent, in qui-  
 bus imaginatio fortius adficitur, et vividissimae oriun-  
 tur repraesentationes adfectibus vehementissimis sti-  
 patae. Quanta sit interdum infomniorum vehemen-  
 tia et crudelitas observatione HENRICI AB HEERS  
 edocemur, qui sequentia refert: “Religiosus qui-  
 “dam sacerdos, lustrum nonum fere aetatis emen-  
 “sus, iam a quindecim annis, aliquot noctibus, tri-  
 “stibus et horrendis infestatur somniis. In iis mor-  
 “tem sibi intentari autumat, idque ut plurimum ab  
 “amicissimis, aut iis, quibuscum nunquam illi vel  
 “iurgii vel disputationis vola aut vestigium interces-  
 “ferat. Singulis tamen somniis, etiam eadem no-  
 “cte recurrentibus, mutat personas, caedis instru-  
 “menta, aliasque circumstantias; modo enim sclo-  
 “po nunc gladio, iam fustibus vapularurum-  
 “se putat. etc. Haec somniorum momorlykia  
 “ter, quater et saepius, singulis recurrunt nocti-  
 “bus, idque circa primas noctis vigiliis; rarissime  
 “enim media nocte transita patitur. Terror hic su-  
 “pra vulgares panicos tantus est, ut licet funibus  
 “vel linteis, multiplici plexu irretitis; sciens volens,  
 imo

“ imo praesentes hoc obsecrans, vesperi vinciantur  
 “ pedes, terribilis per opaca ludens sensus, noctis  
 “ imago, vires illi tantas sufficit, ut furibundus, et  
 “ coeptis immanibus efferus, ceu novus Sampson,  
 “ vincula vel omnino diffingat, vel certe compedi-  
 “ bus pedes expediat, seque extra lectum, imo ex-  
 “ tra cubile coniciat, tanto horrore et horripilatio-  
 “ ne, ut toto corpore concutiat, convellatur, cor-  
 “ dis palpitatione tanta tentetur, ut saepe cum ma-  
 “ nifesta febris lecto se reddat. Haec omnia dicit, a-  
 “ pertis sibi obversari oculis, campanae pulsus se  
 “ audire, horasque distincte numerare, sola se liber-  
 “ tate iudicii circa ea, quae spectant obiecta somnii,  
 “ privari. Nihil mutationis sentit a coelo calido vel  
 “ frigido, nihil etiam si esurialibus diebus incoena-  
 “ rus, aut si aliis a coena somnum init. „ Ab his  
 “ insomniis exspectabis omnes terribiles illos, quos ad-  
 “ fectus vehementiores in corpore exserere solent esse-  
 “ tus. Quis vero in re medica adeo hospes est ut il-  
 “ los ignoret? Effectus testatur de causa. Quis ergo  
 “ *Somnium Morborum Patrem* nominari posse negabit?

## §. XVI.

Ambabus largior talia facilius contingere in  
 praedispositis, sed tamen non contingerent absenti-  
 bus eiusmodi insomniis, et vel me non monente ma-  
 nifestum est omnibus, quod terribiles, qui ab adfecti-  
 bus vehementioribus proficiscuntur morbi a solis in-  
 somniis produci possint. Quis vero ignorat infinita  
 D illa

illa mala, quibus mortalium genus ob adfectum vehementiam cumulatur? Sanguinis ebullitio, insania, febres, spasmi, convulsivi motus, cordis palpitationes, artuum tremores, inflammationes, haemorrhagiae, apoplexiae, hemiplexiae, et quis omnia enarrabit, quae ab adfectuum vehementia produci solent morborum monstra? Nonne vero eadem mala ex insomniis nasci non solum posse, sed solere etiam frequentissime, experientia teste adfirmabis? Et ut multa paucis complectar, omnes morbos, qui a peccato in vigiliis nimis et animi pathematibus nasci solent, gignere potest somnium. Vana est obiectio, haec non tam somniis adscribi debere, quam aliis peccatis in rebus sex non naturalibus commissis, quae somnium ipsum prodaxerunt. Quamvis enim concedam per eiusmodi errores somnia oriri posse, manet tamen nihilo minus somnio, seu causae proximae, sua potentia, et nuptae quamvis e. g. sint somnio ventriculi cruditates, secundum ipsos tamen Jureconsultos Pater est, quem nuptiae demonstrant. Ex quibus omnibus satis superque manifestum est et extra omnem dubitationis aleam positum: *Somnium esse morborum patrem.*

## PARS TERTIA

D E

## SOMNIO MORBORVM FILIO.

## §. XVII.

Ex insigni morborum numero perpauca dantur, qui non praeternaturali aliqua sensatione se manifestent, vel cerebri inordinatos motus coniunctos habeant. Nonne dolor inter frequentissima morborum signa iure meritoque refertur? Quid vero est nisi molesta et praeternaturalis sensatio. Cum itaque sensationes inconsuetae ac molestae, quamvis in ipsis corporis penetralibus a causa morbifica productae, somnia excitare ac producere et possint et soleant; (§. VII.) cum porro etiam ab inordinato fluidi nervei in cerebro motu somnia oriantur, (§. VIII.) naturali plane concludendi ratione inde conficimus, a morbis, tantum non omnibus, generari somnia, manifesto documento: *Somnium* haud raro esse *Morborum Filium*. Adeo frequens est hoc malum, ut vix detur morbus acutus vel chronicus, quo aegrotus laborans suavi fruatur somno et dulci quiete. Ratio in promptu est. Corpus nostrum non solum in externis sed in internis etiam partibus nervis instructum et ex iisdem quasi contextum est. Quis crederet hoc absque fine et ratione a sapientissimo Conditore ita ordinatum esse. Ex rationum illarum numero non ultima

illa esse videtur, ut praeternaturalis in internis partibus excitata sensatio, de praeternaturali illarum statu nos commonefaciat. Tuti conquiesceremus ad visceris labem, nisi ingrata sensatione excitati impelleremur ad quaerenda crescenti malo remedia. Sed accedit alia et priori, quae moralis erat, forte momentosior ratio, quae in eo posita esse nobis videtur, ut ingratham a morbo excitatam sensationem, stabilita a Conditore lege, excipiant motus sensationi proportionati; motus tendentes tantum non semper ad corporis conservationem; motus, a quibus solis salus, restitutio et causae morbificae expulsi sperari potest. Digna res est, quae a nobis exemplis quibusdam illustretur. Acre venenum haufisti, replevisti ventriculum cibo vel potu, quantitate excedente vel qualitate peccante, nausea oritur ingratiissima sensatio, quae vicinas partes in consensum trahens, vomitum concitat, mali certissimam medelam. Acre serum pulmones irritat, subsequitur tussis qua eiicitur, et quae efficit transpirationem fortiorem, qua dissipatur noxia materia. Materia febrilis ingratham sensationem efficit, quam sequitur febris, qua materia peccans attenuatur atque apta ad excretionem reddita expellitur. Tanta erat nervorum in internis partibus necessitas. Quae cum ita sint, fieri vix potest, quin eadem molestae sensationes, quas aegrotantes, dum vigilant, experiuntur, etiam dormientibus contingant, et somnio originem praebeant pro sensationis diversitate diverso. Foecundus Pater, qui filios gignit sibi adeo similes, ut somnia etiam

iam inter haud ultima morborum signa referenda esse  
 dudum iudicaverint acutiores in arte viri. Addu-  
 xisse hoc loco sufficiat Dissertationem sub Praesidio  
 Illustris BVCHENERI Viri incomparabilis, de *Insom-  
 niis ut signo in Medicina*, habitam. Lectu etiam di-  
 gna sunt, quae hac de materia in erudito opere disse-  
 ruit Vir integerrimus Celeberr. DANIEL in *Medicini-  
 schen Beiträgen*. Sic observamus, quod atrabilarii  
 homines et sanguine spisso laborantes insomniis tristi-  
 bus vexentur, et per somnium spectra vel alia, quae  
 terrorem iniiciunt, conspiciere soleant. Plethoricis  
 ruber per somnium color observatur, vel cruenta si-  
 stuntur spectacula, quae insomnia postea cessant per  
 naturales vel artificiales sanguinis excretiones immi-  
 nuta purpurei cruoris abundantia. Ischuria laboran-  
 tes de aquis somniant, in quibus perire metuunt, qualia  
 somnia etiam observavit Illustris PRAESES, in viro  
 qui a nimio haemorrhoidum fluxu insignem passus  
 erat sanguinis iacturam. Febricitantes et praecipue  
 delirantes ac maniaci non raro per somnium ignes  
 conspiciunt, horumque in somnio repraesentationes  
 et vividissimae sunt, et celerius, quam vulgo fieri so-  
 let, cum aliis commutantur. In acutis tempore illo,  
 quo crisis salutaris instat, somnium frequentissime  
 aegrotis repraesentat magnum vitae periculum, ex  
 quo non absque labore salvantur. Crisi vero fune-  
 sta imminente aegroti somniare solent, vel quod in  
 vitae periculo constituti frustra evadere conentur,  
 vel se in locis amoenissimis versari, quod ultimum a  
 duplici causa pendere videtur, a dolorum nempe  
 D 3 ob

ob partis adfectae sphacelationem remissione, et nata per religionem spe felicioris vitae. In iis morbis, in quibus difficilius est sanguinis per pulmones transitus, observantur anxia et molesta insomnia, quo referri etiam meretur celebratus adeo superstitione incubus et succubus. Cuius generationem solide explicavit Beatus SCHAARSCHMIDIVS in *Medicinischen und Chirurgischen Nachrichten*. Non vero solum morbos concomitari somnia certum est, sed etiam illos antecedere et quasi illorum interdum esse prologum. Si subsequens malum ipsius somnii effectus fuit, hoc mirandum plane non est, sed dantur casus, in quibus annuntiatum per somnium morbus ab aliis longe caussis pendet et in illis somnium spectari debet tanquam effectus ignis sub cineribus latentis in flammis mox erupturi, atque in talibus morbis iam adesse mali prodromum non absque ratione iudicamus. Interim fateri cogor, doctrinam illam de insomniis ut signis morborum in multis adhuc deficere et multis obvolutam adhuc esse tenebris. Oprandum propterea esset ut ingenuus ac prudens practicus omnia aegrotantium suorum somnia una cum morbis et eorum decursu, quanta fieri posset brevitate, cum orbe erudito communicaret. Exemplorum enim multitudo regulas parit, et nulli dubitamus hac ratione somnia tandem exhibitura esse morborum, eorumque exitus signa maxime probabilia. Anima namque sentit praeternaturales, quae in corpore contingunt, mutationes, et somnia imitantur repraesentationes easdem.



## §. XVIII.

Si animae cum recentioribus philosophis tribuere vellemus facultatem praevisionis, facillimum foret rationem reddere cur somnia de morbis, illorumque exitu indicia praebeant. Sed adeo parum novimus illam praevisionis facultatem, ut satius duxerim hanc rem ex certiori fundamento, sensatione nimirum a morbo excitata, deducere. Praecipue cum ipsa haec sensatio sufficiat ut ex illa ratiocinando futura cognoscamus. Manifesto exemplo id edocemur in phthificis, quorum plerique mortem instare adstantibus verbis significant, et non raro ipsam mortis horam accurate praedicere solent. Naturalis plane est haec praedictio ex virium defectu derivata, quas ad determinatam aliquam progressionem evanescere animadvertunt aegrotantes. Eadem facultatis cognoscitivae operatione vitae exitum determinant morituri, qua Arithmeticus ultimum progressionis finitae terminum indicat cognitio terminis ultimum antecedentibus.

## §. XIX.

Accusat FONTENELLIVS Philosophos quod animi morbos Philosophiae quidem contemplandos non vero sanandos exhibeant. Ne igitur eandem censuram incurramus, postquam insomniorum naturam et effectus breviter exposuimus, quibus huic malo obviam eundum remediis, et quibus armis profigari possint molesta phantasmata, paucis indicabimus. Quod ut fieri possit probe perpendendum  
et

et inquirendum est, an somnium aliquod sit morbi pater aut filius. Quod exinde diiudicari potest, si consideramus an somniis vexatus homo ceterum sanus sit, nec ne. Priori in casu dubium nullum est, somnio ius nomenque paternitatis competere. Hoc detecto percurrendae sunt res sex nonnaturales, et inquirendum an forte in una illarum causa inquietudinis lateat. Probe igitur perpendas an aer conclavis, in qua somnus capitur, sit nimium frigidus vel calidus, vel humidus etiam, aut quod peius est, noxiis effluviis et exhalationibus refertus, quod multis modis contingere potest e. g. si fenestrae conclavis interdiu non aperiantur, vel plures simul in eodem loco, praecipue angusto, somnum capere soleant. Pertinet huc fumus candelae extinctae vel noxiae calcis vivae, quibus parietes noviter obductae fuerunt, exhalationes, vel quod pessimum est, carbonum candentium ad calefaciendum conclave vel lectum adhibitorum infesti vapores. Considerandus est cibus et potus. Examinandum an qualitate peccet vel excedat quantitate. Coena inprimis vel plane negligenda, vel saltem ne iusto largior sit, prospiciendum est, secundum tritum illud scholae Salernitanae.

*Vt sis nocte levis, sit tibi coena brevis.*

Abstinendam inprimis ab omni cibo et potu, qui vel difficile concoquitur vel ob acrimoniam ad stimulandum aptus existit, quo pertinent aromata et vina calidiora, et cum nihil magis acrimoniae resistat, illamque

que diluendo infringat, quam pura et limpida aqua, salutarum cum effectu eadem a multis hauritur, antequam cubitum eunt. Sequitur somnus ex rerum non naturalium classe, cui, si nimium indulgemus, saepius adscribi debet somniorum origo. Collecto enim inter dormiendum fluido nerveo ad sentiendum aptiores reddimur. Levissima itaque in sensoriis organis contingens mutatio poterit somnium invitare, atque hanc causam esse mihi persuadeo, cur somnia plerisque circa matutinum tempus eveniant. Homines, qui statim surgunt postquam primum evigilant, rarius somniant illis, qui quietis suavitate allecti denuo obdormiscunt. Pertinet huc etiam situs corporis inter dormiendum. Multis enim, praecipue plethoricis, anxiam nascuntur insomnia ex solo declivi capitis situ. Sed maximum momentum, quod respicere debet somnium evitaturus; in corporis motu positum esse videtur. O quam placide obdormiscunt somniorum ignari agricolae, postquam fervente sole improboque labore solutis viribus, ultimo cibi bolo deglutito, profundissimo somno sepeliuntur, nulla alia re quam brevitate ipsis molesto. Eodem namque modo cum somno comparatum est ac cum cibo et potu. Libare oportet non haurire has naturae delicias. Inquirendum porro an excretionem omnes rite peragantur. Pertinet huc inprimis transpiratio, excretio urinae atque illa, quae per alvum fieri solet. His deficientibus quatenam commendabimus remedia? Sudorifera forte, diuretica et purgantia? Minime gentium. Diacretica suffici-

E unt

unt sano, et pharmaceutica aegrotantibus reservan-  
tur. Solus namque motus haec omnia praestat, tran-  
spirationem, urinae secretionem promovet et alium  
sui admonet officii. Si vero vel vires ad motum non  
sufficiant vel optatus effectus non subsequatur, som-  
nium tunc non esse morbi Patrem sed Filium existi-  
mamus. Accedimus tandem ad animi pathemata,  
quorum tanta est ad procreanda somnia vis et effica-  
cia ut nihil supra. Refero huc etiam profundiores  
meditationes, praecipue illo tempore, quo somnum  
capere solemus, insituitas. Certe de quiete sollicitus  
fugiet omnia, quae animum turbare et inquietum  
reddere possunt. Si vero tanta sit hominis cuiusdam  
ob temperamenti indolem ad adfectus proclivitas, ut  
sibi temperare ab iis nullo modo possit, opiatu alicuius  
prudentem usum plane non possumus improbare.  
Opium enim est domitor spirituum, et commendari  
hoc sine meretur Laudanum liquidum Sydenhamii,  
vel Liquor anodynus HOFFMANNI breviantem  
somnia exhibendus.

### §. XX.

Si somnium est morbi filius, extincto patre filius  
peribit, hoc est, curato morbo evanescet somnium.  
Cautius tunc mercandum est cum opio et opiatis,  
quibus supprimuntur salutares naturae ad superan-  
dum morbum conatus, et motus sine quibus spes salu-  
tis nulla est. Prudens interim usus admitti omnino  
potest, qualem in summis doloribus et vehementibus  
moti-

motibus ad interitum corporis tendentibus improba-  
re non possumus. Sed cautus sit, quod iterum ite-  
rumque moneo. Suffocare motus facillimum, suf-  
focatos revocare impossibile est. Ab opiatis enim in  
morbis nulla salus, nisi ex manu  
sapientis acceptis.



TIBI dignitatem, nos ornant, et ab ordine nostro  
MINE CANDIDATE deservit. Quare hanc  
gratulationis officium in TE praestantissime DO-  
ctus a me in mentem spectatorum debuisse praestitit,  
rebus committentibus tamen non paravi, ut, quod  
erat salutare collocatum nec indignere testimonio existi-

I  
R.  
M  
A




N O B I L I S S I M O

DOMINO  
C A N D I D A T O

S. P. D.

P R A E S E S.



*E*tsi nec meam voluntatem obscuram TIBI aut dubiam esse arbitrabar, nec industriam TVAM in arte salutari collocatam meo indigere testimonio existimabam, committendum tamen non putavi, ut, quod aliis a me in arenam disputatoriam deductis praestiti, gratulationis officium in TE praestantissime DOMINE CANDIDATE desideretur. Quare hanc TIBI dignitatem, qua ornandus es ab ordine nostro brevi-

brevibus quidem, at vere et ex animo, sic gratulor, ut  
testatissimum apud omnes faciam, quod studia TVA  
mibi probaueris, effecerisque ut profectibus TVIS  
maximopere delecter. Age igitur DOCTISSIME  
CANDIDATE, maecte esto laude TVA, et de  
me sic statue, omni occasione vel data vel captata ope-  
ram me daturum, ne quid TIBI a me desit officio-  
rum studiorumque. Vale rectissime.

Dedi in academia Julia Carolina

die x x i x. April.

M D C C L I V.

\* ) \* ( \*

**W**as reizet mich so sehr! was regen sich vor Liebe!  
Die meine Brust izz hegt; mein Damon den ich liebe!  
Erlangt des Fleisches Frucht, bis ist's was mich erfreut!  
Ich zolle Dir den Wunsch aus lauter Redlichkeit.  
Ich seh' im Geiste schon! Dein künftig Glück blühen,  
Folgt die Belohnung nicht auf rühmliches Bemühen?  
Apollens Musen-Chor, des Pindas weise Schaar,  
Die stelle Dich zum Glück dem Vaterlande dar:  
Trennt Zeit und Umstand uns, so preis' ich jene Stunden!  
Die unser Herz und Sinn mit Redlichkeit verbunden.

Hiermit wolte dem Herrn Doctoranden zur  
wohlverdienten Doctor-Würde aufrichtig  
Glück wünschen

**Desselben**

ergebenster Freund und Diener

**J. Niemann**

der Arznei-Gelahrtheit Doctor.

---

**N**im hin den Lorbeerkrantz, der Dir, o Freund! gebührt;  
Empfang des Sieges Lohn, den Dir die Weisheit schenkt.  
Ein edler Geist, den nichts als wahre Klugheit ziert,  
Wird durch der Weisheit Lieb zu höhern stets gelenkt.

Er



Er sparet keinen Fleiß. Nichts fördert sein Bemühen  
Wenn ihn ein ächter Trieb zum höhern Sitze reißt.  
Wie manchen sieht man nicht der Arbeit Bürde fliehen,  
Ob er gleich in der That nach seiner Wohlfart geißt?  
Du aber, Wehrter Freund! Du wählst die rechten Wege  
Zu Deiner Ehrenbahn, die Dich die Weisheit lehrt.  
Nur Deine Klugheit macht in Dir die Triebe rege,  
Die auch der Weiseste nicht ohne Grund verehrt.  
O! mir erwünschter Tag, an dem ich Dich seh prangen;  
Der Deines Fleißes Lohn, und Dich o Freund! erhebt  
O! mögte ich doch auch durch Wünschen heut erlangen,  
Was je ein Pythias und Damon hat erlebt.  
Der Himmel laß Dein Glück in steter Blüthe stehn;  
Er schencke Dir das Ziel, wornach Dein Herze sehnt.  
Er laß auch unser Band durch keinen Fall vergehn.  
Kurz, liebe den, der sich Dein treuer Bruder nennt.

Dem Hochgelarten Herrn Doktoranden seine

aufrichtige Hochachtung abzulegen

schrrieb dieses

Desselben

ergebenster Freund und Diener

C. H. Beste

von Wallmoden aus den Hildesh.

der Art. W. und W. W. Besißener.

VIRO PRAENOBILISSIMO  
NEC NON DOCTISSIMO  
DOMINO  
DOCTORANDO  
S. P. D.  
G. H. BECKER  
HILDESINVS  
M. D. S. T. V. D. Opp.

Gratum mihi sane fuit, quid? quod gratissimum, me, animum erga TE meum aperiendi, occasionem nactum fuisse longe exoptatissimam; esset quidem locus hic commodissimus Laudes TVAS enumerandi, praedicandique Eruditionem singularem plane ac praecipuam. Verum enim vero, quoniam verendum mihi omnino esset, ne auribus TVIS molestus fiam a vanis eiusmodi Laudationibus longe alienissimis; tacendum de his mihi arbitror idque eo magis; cum vires meas admodum tenues praedicandis illis neutiquam esse pares, cognitum habeam atque perspectum. Gratias autem ago TIBI quas possum effingere, atque excogitare maximas de tot tamque manifestis TVI in me amoris documentis. Nihil, crede mihi, potius, nihilque antiquius unquam fuit, quam TECUM versari atque ex sermonibus TVIS Doctissimis cognitionem meam atque experientiam ad maius maiusve provebere. Liceat mihi itaque imposterum etiam TE absentem amore meo prosequi ardentissimo, atque de eo deque TVO in me animo per Litteras nos reddere certiores. Quod reliquum est, gratulor TIBI honores merito TIBI concessos, nihilque magis in votis habeo, quam ut omnibus susceptis TVIS Deus felicem ac prosperum dare velit eventum, TEque (mereris enim) ad maiores semper honorum gradus evehat. Ultimo denique loco iterum iterumque TVO me commendatum esse volo Favori, neque, ad me quod attinet, tale quidquam admittam, quod disrumpere, aut perturbare etiam amicitiae nostrae vinculum possit. Vale, Vige, Flore, mihi que face.




01 A 6510

ULB Halle 3  
002 929 198



vol 18







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**SOMNIO**  
MORBORVM PATRE ET FILIO

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICII  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

**IO. GOTTLOB KRÜGERO**

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBL. ORDIN.  
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM  
ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM SODALI  
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
ATQVE IMMVNITATIBVS MORE MAIORVM  
LEGITIME IMPETRANDIS  
IN IVLEO MAIORI

D. XXIX. APRIL. MDCCLIV.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

**GEORG. CHRISTOPH. SCHEIBNERVS**  
GANZIGIO - MISNICVS.

HELMSTADII

LITTERIS PAVL. DIETER. SCHNORK  
ACAD. TYPOGR.

12.

